

Nicolaus Schütze

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Nicolaus Schütze/ I.U.D. & Codicis Professor, Ad Exequias Quas ... Dn. Arnaldo Schuckmanno Flota Westphalo SS. Theol. & Philosophiae Studioso ... Populares Westphali adornant, Omnes omnium ordinum Cives Academicos amice invitat

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777426609>

Druck Freier  Zugang



Schütze, N.,
in
A. Schvckman.
Rostock, 1640.

PROGRAMMA

59.

QUO
RECTOR

Universitatis Rostochiensis

NICOLAUS Schütze /

J. U. D. & Codicis Professor,

AD

EXEQUIAS

QUAS

ERUDITISSIMO ET PRÆ-
STANTISSIMO

DN. ARNOLDO
SCHVCKMANNO

Flotâ Westphalo SS. Theol. & Philo-
sophiæ Studiofo dum viveret diligentissimo.

Populares Westphali adornant,

Omnes omnium ordinum Cives

Academicos amicè invitat,

~~~~~

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academ. Typograph.

ANNO MDC XL.





Udius quartani Evangelij lectio  
statuit nobis ante oculos vitæ  
humanæ conditionem, cujus  
fragilitatem, sollicitudinem, &  
brevitatem satis meditari, mirari, enunciare  
non possumus. Fragilitatis documentum,  
exhibet nobis *αιμωροσσοτε* mulier, morbo suo  
totis duodecim annis afflicta: Sollicitudinem  
archisynagogus Jairus pater adolescentulæ  
defunctæ; brevitatem, adolescentula primis  
vitæ annis defuncta. Quod in his tribus ex-  
hibetur nobis lectione Evangelica, id unius  
Juenis, cui hanc operam damus ARNOLDI  
Schuckmann Westphali exemplum ante ocu-  
los positum satis superq; tanquam compen-  
dio confirmat. Ex quo enim tempore is na-  
tus est, fragilitatem vitæ tum ex alijs indicijs  
deprehendit evidenter, tum verò ex morbo,  
*Φθισιν* vocant Medici, quo conflictatus est  
bene magno vitæ spacio, evidentissimè. Sol-  
licitudinem sui gessit eo majorem, quo mi-  
nus auxiliij ab alienis & peregrinis expectavit.

Brevi-

Brevitatem deniq; arguit obitus ipse. Natus enim est & in hanc lucem editus Anno Domini, millesimo sexcentesimo decimo quarto ARNOLDUS Schuckmann SS. Theologiae & Philosophiae Studiosus Flotæ Westphalorum, in Comitatu Ravenspurgico, ex parentibus pijs & honestis: Patre HIERONYMO Schuckmann negotiatore, & ANNA Noltings matre: qui suam sollicitudinem filio recens nato debitam non minus ostenderunt, quam Jairus iste Evangelicus. Hic enim filiam suam corporaliter mortuam Servatori nostro Domino JESU commendabat, isti verò filium spiritualiter mortuum, sacrosancto Baptismi lavacro regenerandum, & in vitam spiritualem revocandum eidem Servatori nostro obtulerunt. Ad ætatem institutionis literariæ capacem ubi pervenit eadem parentum sollicitudine in scholam patriæ publicam ductus est, & prima literarum elementa didicit, Fundamentis ita jactis renovata sollicitudine Mindam est missus: Exacto ibi spacio annuo Hervordiam venit, & in ejus urbis ludo biennium, plus minus, humanioribus literis invigilavit. Erectum erat eo tempore Gymnasium à Nobilibs, Dn. von dem Busch vnd Münchhausen

F 2

sen



sen Oldendorpij ad Visurgim: Commendan-  
da certè & justis laudibus prædicanda pio-  
rum hominum liberalitate, qui non ingenijs  
tantum excolendis formatorum, sed & ali-  
monix ac sustentationi corporis victori-  
um adornarunt, & instruxerunt, in quo cer-  
tus alumnorum numerus dictorum Nobiliss.  
Virorum sumptu & cura ad pietatis, virtutis  
& literarum cultum informaretur. In isto-  
rum alumnorum numero hic noster, AR-  
NOLDUS erat, & istius liberalitatis ac mu-  
nificentix beneficio per integrum quinquen-  
nium commodè usus est & fructum ex eo  
non contemnendum decerpit ac reportavit.  
Cum verò suas ob causas locus Gymnasij mu-  
taretur, idq; in urbem Osnabrugensem trans-  
ferretur, secutus est eam fortunam & isto etiam  
in loco studijs annos tres dedit, donec exactis  
istis illine discessit & in hanc urbem, Acade-  
miãq; hanc nostram anno millesimo sexcen-  
tesimo trigesimo octavo pervenit. Hactenus  
non sine magna sollicitudine, molestia & la-  
bore fragilem vitam toleraverat: cum brevi-  
tas etiam ex propinquo termino apparere ce-  
pit. Initia morbi & semina jam antea perce-  
perat

perat in Westphalia quoq; & huc ea secum  
attulerat, siquidem bene magno, ut perhi-  
bent, qui sciunt, vitæ spatio phthisi conflictat-  
us: ingravescentem tota hac æstate expertus  
est adeo, ut mense Augusto in lectum conje-  
ctus vitæ sibi finem imminere animadverterit  
paulatim, quem ipso die Kalendarum hujus  
Novembris assecutus est pium & instar somni  
placidum. Certus est nimirum finis & nulli  
hominum evitabilis: temporis verò momen-  
tum & hora ejus advenientis & occupantis  
incerta: siquidem videmus, quod sine discrimi-  
ne rapiantur ejus violentia pueri, viri, se-  
nes, utriusq; sexus parvi, magni, robusti, ut vi-  
deatur, qualis hic Juvenis, infirmi, ut eventus  
ostendit. Jairi istius nudiusquartani filia duo-  
decennis erat, instar pulcherrimi flosculi, vege-  
ta & florida: sed spiritus eam Domini cum  
adflaret, ægrescit, caput demittit, folia ejus  
cadunt, ipsa demoritur: Eodem fato, quo  
hic Juvenis qui bis totidem annos, uno item-  
que altero addito, quot illa vixit. Videte,  
Juvenes qui estis, qui formosi, qui robusti:  
Hic Juvenis formosus, robustus moritur: &  
vobis idem fieri posse acclamat. Facite igitur

F 3 p anoni insur

tur & animo totò in hanc curã incumbite,  
ut vitam vestram timore DEI muniatis, in  
juventute vestra memoriam Creatoris etiam  
atq; etiam excitetis, atq; ita coram ipso vi-  
tam agatis integram scelerisq; puram, juxta  
admonitionem illam salutarem, quam Spiri-  
tus S. Psalmo centesimo undevigesimo omni-  
bus quidem, quicunq; terræ munere vesci-  
mur, ijs verò, qui ætatem juvenilem agunt,  
præcipuè, proponit, cum ait; Juvenis viam  
suam quomodo sine reprehensione ingredie-  
tur? Respondet verò, si juxta verbum tuum,  
DOMINE, incedat. Hac nimirum ratione  
ab imminente infortunio tuti erunt, veniat  
momentum illud fatale quacunq; hora,  
minimè veniet vel intempestivum, vel inex-  
spectatum ijs, qui ad virilem CHRISTI perfe-  
ctionem sive ætatem pertigerint, quæ in  
salutari ejus agnitione & vita non maculata  
consistit, ut liber sapientiæ nos docet cap. 4.  
atq; ita per DEI gratiam semper erunt parati  
ad pium ex hac vita discessum & coelestem cum  
Dn. CHRISTO conversationem, Eorum enim,  
qui in vera & salutari fide hinc discedunt, ea  
est conditio, ut nihil in morte metuendum  
habeant; morte quasi placido somno con-  
sopiti,

ſopiti, quieſcant, qua imagine Servator no-  
ſter utitur; ſepulchrum ijs pro cubiculo erit,  
in quo ab hujus vitæ laboribus & periculis  
placide ac ſecurè dormiant, donec furor &  
ira tranſeat, ut Propheta loquitur. Nec eſt,  
quod hujus rei illuſtrius & robuſtius argu-  
mentum deſideremus, quam præteritum,  
Evangelium ſuppeditat. Princeps vitæ in eo  
accedit ad puellam deſunctam & manu præ-  
henſam efficaci affatu erigit, quali dormien-  
tem: atq; ita evidenter oſtendit, nihilo ſibi  
difficilius fore mortuum ex ipſius lethi fau-  
cibus eripere ac in vitam revocare, quam no-  
bis dormientem expergefacere. Apud Poë-  
tas Hercules Admeti Theſſalorum regis con-  
jugem Alceſtin colluctatus morti eripit ac li-  
beratam viro reſtituit. Fabulæ. Relinquatur  
ſuus Poëtis Hercules: nos omnipotentem,  
DEI filium habemus, ad eum confugimus re-  
ſurrectionis & reſuſcitationis noſtræ ad vitam  
æternam & beatitudinem coeleſtem uti ducem,  
& ſponſorem verum ac fidelem, ita omnipo-  
tentem promiſſi muneris autorem, qui præ-  
ſtare quod promiſit & velit & poſſit, Hac  
fide noſter deſunctus hinc diſceſſit, hac fide  
ad

ad alteram vitam adspiravit, ejusq; compos  
factus est. Corpus Christiana sepultura ho-  
diè hora prima pomeridiana afficietur ad  
quam ut convenire in templum Marianum,  
frequentes velint, omnes Academiae Cives pro  
officij nostri ratione sedulo hortamur. Ea-  
dem opera suæ mortalitatis memores publi-  
cas necessitates DEO pijs precibus com-  
mendabunt. P. P. Rostochij sub  
sigillo Rectoratus. Anno  
1640. die 18. No-  
vembris,

Conventus fiet hora prima in  
templo Mariano.













perat in Westphalia quoq;, & h  
attulerat, siquidem bene mag  
bent, qui sciunt, vitæ spatio phl  
tus: ingravescentem tota hac æt  
est adeo, ut mense Augusto in l  
æus vitæ sibi finem imminere at  
paulatim, quem ipso die Kale  
Novembris affectus est pium &  
placidum. Certus est nimirum  
hominum evitabilis: temporis v  
tum & hora ejus advenientis &  
incerta: siquidem videmus, qu  
mine rapiantur ejus violentia p  
nes, utriusq; sexus parvi, magni,  
deatur, qualis hic Juvenis, infirm  
ostendit. Jairi istius nudius quart  
decennis erat, instar pulcherrimi  
ta & florida: sed spiritus eam D  
adflaret, ægrefcit, caput demit  
cadunt, ipsa demoritur; Eode  
hic Juvenis qui bis totidem ann  
que altero addito, quot illa vixi  
Juvenes qui estis, qui formosi  
Hic Juvenis formosus, robustus  
vobis idem fieri posse acclamat.

F 3 p 3



the scale towards document